DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DONALDSON,

SCOTUS:

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

"———— *SICULI non invenere tyranni*
"*Majus tormentum.*"

HORAT. *EPIST.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCCI.

PATRI,

HUGONI DONALDSON,

HANC DISPUTATIONEM,

STUDIORUM

PRIMITIAS,

PIETATE

MOTUS,

D.D.CQUE

GULIELMUS DONALDSON.

VIRO OPTIMO,

JACOBO BONE,

CHIRURGIÆ

SCIENTIA USUQUE

PRÆCLARO,

A QUO

ARTIS MEDICINALIS

ELEMENTA

DIDICIT,

PEREXIGUUM HOC

GRATI ANIMI

MONUMENTUM

OFFERT

GULIELMUS DONALDSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

§ I. RHEUMATISMUS, de quo pauca scribere nobis consilium est, ab auctoribus in *acutum* et *longum* dividitur. De utraque specie, quàm brevissimè persequemur.

II. *Acutus rheumatismus* à Culleno definitur: " *Morbus ab externa, et plerumque evi-*
" *dente causa; pyrexia; dolor circa articulos,*

" *musculorum*

"*musculorum tractum sequens, genua et reli-*
"*quos majores, potiùs quàm pedum vel manuum*
"*articulos, infestans, calore externo auc-*
"*tus* (A)."

III. *Rheumatismus* frequentior in frigidis regionibus morbus est, quàm calidis; at in iis maximè, in quibus subitæ et frequentes tempestatis varietates sunt. Mortales adoritur, iis præcipuè temporibus anni, ubì vices alternant frigus et calor.

IV. Nusquàm terrarum hic morbus mortalibus infestior est, quàm in BRITANNICIS insulis; ubì autumno, sed adhuc sæpiùs vere (B), nostrates incursat et cruciat. Vernus *rheumatismus*,

---

(A) Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. xxii.

(B) Vid. FOULER. *Medical Reports*, pag. 260.

rheumatismus, utì, propter *diathesin phlogisticam*, quam hiemale frigus, forsanque etiam hiemalis diæta, induxerunt, autumno frequentior est, ità quoque gravior.

v. *Rheumatismus* acutus adolescentes, ætateve florentes, sæpiùs infestat, quàm impuberes, aut eos qui evaserunt vitæ meridiem. Mortales sanguineo temperamento adoritur, præ iis alio quolibet. *Rheumatismus* longus afficit, præ cæteris, medios ætate et provectiores.

SIGNA.

VI. His præmissis, proximum est, ut dicamus, quibus malis urgeantur ii, quorum artus hoc morbo laborant.

VII. Ineunte hoc morbo, artus quidam, plerumque majores, dolere incipiunt. Dolores, haud rarò, musculorum viâ, alium artum atque alium petunt, et omni, vel levissimo, artûs laborantis motu intolerabiliter exasperantur. Affligunt plerumque genua, coxendicem, vertebras lumborum, humeros et cubitos; rarissimè autem, manuum pedumve articulos.

VIII. Nonnunquàm unum tantùm artum afficit *rheumatismus*; multò autem sæpiùs, complures

plures simul. Haud rarò, uno artu relicto, magnâ vi invadit alium; atque, sic, huc illuc, migrando, miseros nonnunquàm mortales, per longum tempus, excruciat.

IX. *Rheumatismus* morbis haud dubiè annumerandus est, qui inflammationem habent, quamvis rarissimè in suppurationem abeat. Utì autem inflammatio, quam movet hic morbus, qui, enimvero, ligamenta potissimùm et *tendines* afficit, rarissimè suppuratione finitur; ità abscessus, siquandò suppuratis hujusmodi partibus oriantur, pessimi sunt; quippe cùm non solùm ægerrimè sanentur, sed futuræ etiam artûs rigiditatis metum injiciant.

X. Procedente *rheumatismo*, sudorem subindè oriri, haud insolitum est. Hic verò rarò morbum solvit, aut etiam levat dolorem; nisi, quod sanè haud sæpè est, ipso artu dolente profusus oriatur.

XI. Signa, quæ hactenus memoravimus, utrique *rheumatismi* speciei communia sunt. Res autem postulare videtur, ut, cùm quæ *ACUTÆ* propria sint, tum quæ *LONGÆ*, paucis describamus.

XII. *ACUTO RHEUMATISMO*—incipiente, percurrit corpus frigus, vicissimque calor; simulque cætera signa febris sese manifestant.

XIII. Urina rubra est, atque nullum initio sedimentum deponit. Posteà verò quàm morbus aliquantùm increvit, atque febris compluries remisit, frigescens urina furfuracea quædam demittit. Horum autem demissione haud semper finitur morbus; sed, nec raró, longum posteà tempus, miserum cruciat.

XIV. Sanguinis missi et frigescentis pars glutinosa à sero et cruore se dissociat, atque supernatans

supernatans album corium repræsentat. Hæc sanguinis partium dissociatio signum omnibus morbis commune est, qui in corporis ejusve partium inflammatione consistunt.

XV. Artus, doloribus afflictus, spiritu, in *bursas* ejus *mucosas* effuso, nonnunquàm intumescit. Plerumque verò, in nostris saltem insulis, spiritus brevi resorbetur, et artus in naturalem magnitudinem detumescit. In quibusdam autem EUROPÆ partibus, præcipuè in GERMANIA, utì certiores nos faciunt auctores, fidi sanè et graves, necessarium est, artuum tumores, qui spiritum continent, ferro patefacere. Hoc facto, tumore exit humor glutinosus.

XVI. Tanta est vis doloris et inflammationis, quibus acuto *rheumatismo* laborantes affliguntur, ut medicinæ morborumque nescius existimaret, fore non posse, quin supervenirent

nirent gangræna et mors. Hæc tamen mala nunquàm, quòd scimus, acciderunt.

XVII. Haud raro autem fit, ut longâ abstinentiâ et exinanitione, quibus ab ægris pugnatur, quò acutum *rheumatismum* discutiant, nedum malus corporis habitus, sed etiam hydropes oriantur. Concedendum tamen est, rarissimè subsequi periculosa hæc mala.

XVIII. Delirium quoque, ut accipimus, acutum nonnunquàm *rheumatismum* subsequitur. Nostrâ verò opinione, non *rheumatismo* supervenit, sed alienæ curationi, qua huic morbo succurrunt imperiti inconsiderative medici.

XIX. *Rheumatismo* laborantes rarissimè moriuntur: imò, forsitan nunquàm, nisi simul aliis morbis implicantur, lentâ veluti febri aut anginâ malignâ; quibus, profectò, neque

missio

missio sanguinis, neque alia medicamenta et remedia conveniunt, quibus *rheumatismo* subvenitur. *Rheumatismo*, porrò, vehementi, ubì magna vis inflammationis urget, superveniant fortasse vitalium inflammationes, quæ mortem afferant.

XX. Acutus *rheumatismus* raró, duas amplius hebdomadas, sine remissione, continuat. Nonnunquàm autem, ubì intermittit subindè vicissimque revertitur, per complures hebdomadas, imò etiam menses, producitur.

XXI. Acutus, denique, *rheumatismus*, quippe cùm faciat, ut musculi, mirum in modum, flacceant, torpeant, et rigeant, haud raró abit in longum.

XXII. Quum ità sit, haud alienum erit, hìc loci, paucis dicere, quæ huic morbi speciei propria signa sint. Nisi enim hoc faci-

amus, partem tantùm rei propositæ exsequemur.

XXXIII. *Vetustum*, seu *longum rheumatismum*,—*arthrodyniam* Cullenus appellat; atque, his verbis, definit: " *Post rheumatismum,* " *nisum violentum, vel subluxationem; dolores* " *artuum vel musculorum, sub motu præsertim,* " *aucti, plùs minùsve fugaces, calore lecti vel* " *alio externo levati; artus debiles, rigidi,* " *facilè, et sæpè sponte frigescentes; pyrexia* " *nulla; tumor plerumque nullus* (c)."

XXIV. Huic definitioni, utpotè quæ omnes habeat in se numeros veritatis, habemus nihil, quod contradicamus. Quoniam igitur de rebus inter nos convenit, alienum esset movere controversiam de verbis.

XXV.

(c) Vid. Cullen. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. xxii. sequel.

XXV. Utì longus *rheumatismus* sæpè, at neutiquàm semper, acuti consequens est; ità, haud raro, difficile in primis est discernere, ubì huic terminus sit, illi initium.

XXVI. Ubì, post febris decessionem, artus acuto *rheumatismo* affecti detumescunt et pallescunt, dum levissimo motu, et tempestatis vicissitudinibus, doloribus urgentur; diutiùs haudquaquàm dubium est, quin aut supervenerit longus, aut propè sit, ut superveniat.

XXVII. Plùs satìs constabit, acutum *rheumatismum* in vetustum abivisse, ubì artus, dudum cruciati, frigent rigentque; ubì adeò non insudant, ut, dum cætero corpore tepidus sudor oritur, lento tantùm humore frigiduloque madescant; ubì iis dolorem affert frigus, calor aufert aut levat; ubì conquiescunt noctu, interdiu reviviscunt, dolores.

XXVIII. Artus, porrò, *rheumatismo* acuto vexati, ex tactu dolent; longo, contrà, rigidi, sunt pressuræ solito patientiores.

XXIX. Vetusto *rheumatismo* nulla constat longinquitas. Haud enim rarò, per menses, annos, imò per reliquam vitam, protrahitur, atque anni vicibus tempestatisque remittit aut exasperatur. *Thermometrum*, enimvero, ipsum vix certiùs aut meliùs tempestatis vicissitudines prænunciat et indicat, quàm miser longo *rheumatismo* afflictus.

XXX. Longus *rheumatismus*, pariter atque acutus, alios aliàs artus afficit; præsertim autem eos, ad quos plurimi musculi pertinent, quorumque musculi, in maximis nisibus moliminibusque, exercentur. Cùm ità sit, haud mirum est, vertebras lumborum, et coxam, præ cæteris artubus, *rheumatismo* longo corripi et laborare. Ubì lumbos affligit hic morbus,

morbus, *LUMBAGO* à medicis appellatur; ubì coxendicem, *ISCHIAS*, seu *SCIATICA*.

XXXI. Vetustus *rheumatismus* nonnunquàm, inter pubertatem et vitæ meridiem, acuto supervenit; sæpiùs autem, vergente ætate aut ingravescente, mortales urget, eosque, præ cæteris, qui, dum adolescebant florebantque, subindè plectebantur acuto.

XXXII. Hic *rheumatismus* rarissimè, aut nunquàm, lethalis est: sed, superquàm quòd facit haud rarò, ut frigeant, rigeant, torpeantque artus; nonnunquàm, membrorum musculos simulque nervos resolvendo, mortales, quod superest ævi, miseros reddit, atque sibi suisque necessaria ad vivendum parandi impotentes; imò, vitam ipsam, valentibus optandam, iis intolerandum onus.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

XXXIII. Memoratis malis, quibus mortales afficit *rheumatismus*, proximum est, ut quæramus, quibus causis hic morbus oriatur. Has enim haud ignorare medicus debet: namque, qui non cognoscit, undè ortum sit malum aut morbus, is nescit, quibus laboranti subveniat medicamentis et remediis. Humani itaque generis interest, medicos, minimè omnium, suam artem ignorare.

XXXIV. Causarum, quibus oritur *rheumatismus*, aliæ mortales morbo opportunos reddunt; aliæ opportunos invadendi morbo præbent

occasionem.

occasionem. Illas *PRÆDISPONENTES* medici nominant; has, *EXCITANTES*, seu *OCCASIONALES*.

XXXV. *PRÆDISPONENTES.* — Proclivitas in *rheumatismum* acutum consistit in vasis aut nimio sanguine impletis, aut quorum fibræ musculosæ justò aptiores sunt, quæ sanguine ipso alienisve stimulantibus sese contrahant. Quæcunque igitur corpus implent, committuntve ut impleatur, aut fibras musculosas ad se contrahendum propensiores reddunt, aut utroque simul modo agunt, mortales huic *rheumatismo* opportunos facere possunt.

XXXVI. Talia sunt, naturale corporis temperamentum et constitutio; luxuriosæ dapes; multus vini et cerevisiarum usus; socordia; mollis inertia atque segnitia; somni indulgentia; hiemale frigus; et, si qua, similia.

XXXVII. Proclivitas ad vetustum *rheumatismum* existit in imbecillitate invaletudineve majorum artuum, eâ præsertim, quam magna vis acuti et frequens reliquit. Neutiquàm autem dubitandum est, quin ad infirmitatem artuum augendam conducant omnia, quæ totum debilitant corpus; ebriositas, nempè, longa et vehemens exercitatio, pervigilationes nocturnæ, forsanque rerum venerearum intemperantia.

XXXVIII. *Excitantes.*—Causæ, quæ *rheumatismum* concitant, præcipuæ sunt frigus et humor, calefacto corpori admota. Hæc enim cutis halitum supprimunt, quo sanè nihil ad *rheumatismum* movendum plùs pollet.

XXXIX. Quum ità sit, haud mirum est, mortales, qui, postquàm gravi exercitatione, aut ædificiorum calore, aut ebrietate, aut aliâ quâlibet causâ perquàm calefacti sunt, frigori

simul

simul et humori se committunt, *rheumatismo* haud rarò corripi.

XL. Mortalium, qui his (XXXIX.) causis, supra consuetudinem, calefacti sunt, quot in *rheumatismum* incidunt, uvidis vestimentis obdormiscendo? quot aëre humido, per apertas fenestras, intromisso? quot, simul ut calidis cubiculis egressi sunt, Jovi frigido humidoque se committendo? *Rheumatismo* acuto, his causis concitato, supervenire longum, haud insolitum est.

CAUSA PROXIMA.

XLI. De *rheumatismi*, pariter atque aliorum morborum, quibus partis inflammatio signum commune est, causâ *proximâ*, inter auctores admodùm discrepat: neque, enimvero, nobis in animo est, de ea fusè dicere.

XLII. Insolitam corporis humorum acrimoniam esse, nonnulli contendunt. Nulla autem à medicis observata sunt, nedum experimentis comprobata, quibus confirmari possit hæc sententia.

XLIII. Cotunnio visum est, causam, quæ *rheumatismum* continet, esse acrem quandam materiam

materiam nervis applicatam. Verùm hæc opinio, superquàm quod novarum rerum studium perolet, morbi neque signis convenit, neque curationi. Argumentis igitur refutando tempus terere, esset operam perdere et oleum.

XLIV. Quinetiam, sunt, qui, nempè Boerhaviani, proximam *rheumatismi* causam esse insolitum *sanguinis lentorem*, censeant; inducti, utì videtur, ut ità opinentur, quòd sanguinis, ex venis hoc morbo laborantium emissi, gluten à sero et cruore se dissociat, atque supernatans corium albidum repræsentat.

XLV. Dissociatum autem gluten, quod Boerhaviani alienam sanguinis partem temerè existimârunt, partem hujus humoris constituentem esse, nostrâ ætate, medici certò cognoscunt; adeòque non extraordinarium lentorem indicare, ut demonstret morbidam

bidam tenuitatem, vel, quod idem valet, partes constituentes minùs, quàm eæ sani sanguinis solent, se mutuò attrahere.

XLVI. Ipse igitur sanguinis habitus, quo perducti sunt BOERHAVIANI, ut suam opinionem acciperent et proponerent, valentissimum, nostrâ ætate, argumentum suggerit, quo hæc labefactetur.

XLVII. Quo modo autem inflammatio sanguinem aptum reddat, cujus, missi et frigescentis, gluten corium albidum repræsentet, exponere medici nondùm potuerunt. Haudquaquàm igitur nostrum est moliri, rem, naturâ perdifficilem et perobscuram, explicare: superquàm enim quòd rei magnitudo juvenilibus annis parùm convenit, ipse scribendi labor nos ab incepto longiùs traheret.

XLVIII. Alii fuerunt, et hi quidem magni et nobiles, quibus placeret, causam, quæ *rheumatismum*, pariter atque alios morbos quibus communis est partis inflammatio, continet, esse *LOCI ERROREM*; quo globuli cruoris in capillaceas arterias aberràrunt, quæ naturâ idoneæ sunt, per quas perlucidæ tantùm sanguinis partes distribuantur.

XLIX. Hujusmodi (XLVIII.) errorem loci, in *tunicæ* oculorum *adnatæ* inflammatione, accidere, inter omnes medicos convenit; neque, profectò, vero absimile est, æqualiter pariterque in inflammationibus cæterarum partium, quamvis, an ità sit, oculi non æquè possint judicare.

L. Talis verò (XLIX.) concessio quid facit, pro iis, qui hanc opinionem proponunt et defendunt? Nonne clarè constat, errorem loci inflammationis effectum esse, magis quàm efficientem?

efficientem? Quum ità sit, plura dicere, quibus infirmetur hæc opinio et evertatur, supervacaneum esset.

LI. Extiterunt quoque medici, et existunt, ingeniis magni et præclari, CULLENUS, scilicet, atque CULLENIANI; qui contendunt, *proximam* inflammationis causam esse, *INCITATAM* partis laborantis *ARTERIARUM VIM*, quam adhuc incitatiorem reddit *SPASMUS*, quo, *VIS* cujusdam, *MEDICATRICIS* dictæ, jussu, extremi earundem arteriarum surculi afficiuntur.

LII. Huic (LI.) opinioni objici potest, difficillimum esse animo et cogitatione comprehendere, quarè et quemadmodùm in ea parte, præ cæteris, sanguis cumulari possit, in qua arteriarum vis, supra modum, incitatur. Neque, profectò, facilius est mente concipere, quid sit *VIS MEDICATRIX*, quæ tot tamque mira facit, in mortalium corporibus; et, quo in lo-

co,

co, habitet; et undè sciat, quo tempore inducendus arteriis spasmus sit, quo solvendus.

LIII. Porrò, opinioni contradicatur, quam CULLENIANI defendunt, concessis spasmo et incitatâ vi arteriarum, quæ assumunt magis, quàm probant, sanguinem neque in parte, ubì arteriarum vis incitatur, cumulatum iri; neque in parte, ubì extremis earundem arteriarum surculis *VIS* assumpta *MEDICATRIX* spasmum molita est; sed, in parte quadam intermedia.

LIV. Verisimilius igitur nobis videtur, incitatam partis inflammatæ arteriarum vim cumulo sanguinis effici, quàm cumulum sanguinis incitatâ vi arteriarum. Sed, undè ipse hic sanguinis cumulus? Ex *COMPARATIVA*, respondemus, arteriarum partis malè se habentis *DEBILITATE*, præ qua, sanguinem languidiùs propellunt,

propellunt, quàm in ipsas, à tergo, impellitur. Hinc, utì nobis videtur, sanguinis cumulus; hinc, arteriarum ictus, duri et resilientes; hinc, dolor pulsans; hinc, vis caloris solitò major.

LV. Sed ultrà quæratur, quid significet comparativa partis inflammatæ arteriarum debilitas? Debilitatem majorem, vel, si velis, vim minorem, quàm pro ea arteriarum cæteri corporis. Pone, sultis, vim arteriarum alterutrius manuum causâ qualibet, velut frigore, minutam esse, infra quàm naturalis valetudinis ratio pati possit; dum, ubique cæteri corporis, vis arteriarum naturalis manet: nonne arteriæ debilitatæ manûs sanguinem languidiùs propellent, quàm in ipsas, à tergo, impellitur; ideoque nimio sanguine intumescent, rubescent, ictus duros ingeminabunt, aut, quod sanè idem valet, inflammationem càpient?

LVI. Fac, contrà, dum utralibet manus naturali valetudine fruitur, cæterum corpus aliquà, ad tempus, excitari, supra quàm valetudinis naturalis ratio postulet; nonne clarè constat, necessariò fore, ut in manu itidem oriatur inflammatio?

LVII. Ex his (LV. et LVI.) positis, clarè, speramus, patebit, quam, apud nos, vim habeat comparativa debilitas, et, necne, ex ea, tanquàm communi stipite, inflammationis signa nascantur.

LVIII. Sed, de hac re, jam nimii fuimus. Utì enim res nulla est, de qua tanto opere, tamque acriter, medici dissentiunt, et in cujus studio tantam operam curamque consumpserunt et consumunt; ità nulla, apud eos, materia fuit inaniarum et contentionis fœcundior: nam, cùm *proxima* sit verbum comparativum, vix duo medicorum sunt, quorum in

mente eandem vim habet, quique, per id, idem aliis sensum exprimunt.

LIX. " *Quo fit,*" inquit ROCKCLIFFIUS, "*ut,* " *per* proximam *causam, diversi medici diver-* " *sam sibi velint, et quisque studeat novam ad-* " *ducere, spretâ vel malè intellectâ eâ aliorum.* " *Hanc ob rem, utì undam unda, itá, de causa* " *morborum* proxima, *aliam opinionem subse-* " *quitur alia; ipsa forsitan haud minùs vero* " *absona, et alii æquè fortasse inani locum pòst* " *paulò datura* (D)."

DIAGNOSIS.

(D) Vid. ROCKCLIFF. Disputat. Med. Inaug. *De Cynanche Tracheali,* § XXXIX. GLASG. ann. M,DCC,XCIX.

DIAGNOSIS.

LX. MEMORATIS signis, quibus cognoscatur *rheumatismus*, itemque causis, undè proveniat; nunc paucis dicendum est, quibus propriis notis distinguatur ab iis morbis, quibus cum eo communes quædam intercedant.

LXI. Morbi, qui *rheumatismum* quibusdam simulant, sunt *lues venerea*, *scorbutus* et *podagra irregularis*.

LXII. *LUES VENEREA*--et *rheumatismus*, quamvis mortales pariter ferè æqualiterque doloribus crucient, multis tamen, et his quidem magnis, inter se differunt. Dolores, quos movet *lues venerea*, contrà atque ii, quos *rheumatismus*

mus, ossa potissimùm cruciant, quibus incumbunt paucissimi musculi, scapulas velut, et media ossa cylindracea. Quinetiam, dolores, quibus miseros punit *lues venerea*, impuro, plerumque illicito, concubitui superveniunt; dolores, quibus mortales afficit *rheumatismus*, non item. Dolores, denique, *lue venereâ* ortos, non item eos *rheumatismo*, comitantur fauces ulcerosæ; *nodi*, *tophi*, *exostoses*, corona veneris; maculæ colore cupreæ, nedum faciem, sed et alias summæ cutis partes, dedecorantes.

LXIII. *Scorbutus*—itidem à *rheumatismo* facilè distingui potest. Ille morbus nautas potissimùm et milites afficit, qui nauticis militaribusve muneribus, cibis salitis, fatigatione, excubatione, aliisque innumeris duris maris militiæque, plurimùm debilitati sunt. Hic mortales adoritur, qui, ubicunque vitam et

quomodocunque

quomodocunque agant, pleni sunt, et frigori simul et humori se incautè invitève commiserunt. Quinetiam, dolores *scorbutici*, pariter ac *rheumatici*, artus, eosque majores, præcipuè cruciant; sed sedem multò, quàm hi, interiorem occupant. *Scorbutum*, prætereà, *rheumatismum* non item, discolores, hìc illic summæ cutis, maculæ comitantur.

LXIV. *Podagra irregularis*,—pariter atque *rheumatismus*, juncturas seu commissuras infestat. Ille tamen morbus articulos maximè cruciat; hic, artus. Ille hæreditarius morbus est; hic, non item. Ille, post vitæ meridiem, maximè urget; hic, saltem acutus, ante. Ille mares solos, vel saltem ferme solos, incursat; hic, mares pariter atque fœminas. Ille, contrà ac hic, stomachum haud raró petit, aut cerebrum, aut pulmones, imò etiam intestinum rectum et vesicam. Dolores, denique

nique, quos hi morbi movent, inter se adeò dissimiles sunt, ut miseri, qui alterutrumque morbum passi sunt, facilè, uter urgeat, dignoscant.

CURATIO.

CURATIO.

LXV. CÆTERIS rei propositæ partibus absolutis, nunc ad eam venimus, quæ, utì utilissima est, ità ea est, de qua medici minimè, inter se, discrepant. Hanc partem perscribendo, explicabimus, primùm quâ efficacissimè ratione acutus *rheumatismus* persanetur; dein, quâ longus.—Nobis adsis, nostrisque annuas consiliis, salutifer APOLLO!

LXVI. *CONSILIUM PRIMUM.* — Quum acutus *rheumatismus* inflammationem habeat, ei quamprimum subveniendum est, nimios cordis arteriarumque motus sedando. Quà igitur

tur ratione hoc fiat, quàm brevissimè exponere nostrum est.

LXVII. *Abstinentia.*—Hoc (LXVI.) consilio, opus est, ut æger à carnibus, et potionibus omnibus meracioribus, sive distillatis sive fermentatis, ex toto, abstineat; quippe cùm hæc corpus non solùm impleant, sed et stimulent. Debet, intereà, vivere cibis, quos terrâ nata suggerunt, quosve præbent viva animalia, farraceis nempè, et lacte lactentibusque; sitimque potulentis dilutissimis explere.

LXVIII. *Sanguinis detractio.*—Quoniam, dum urget *rheumatismus* acutus, æger plùs minùs, imò interdum vehementer, febrit; oportet, morbi initio, sanguinem pleno rivo emittere. Sed, vel in *rheumatismo* acuto, sanguinem mittendo modus est. Hujus enim humoris detractio, supra quàm vis morbi postulet, et ægri vires pati possint, non solùm curationem tardat,

tardat, sed et committit haud rarò, ut superveniat *rheumatismus* longus. Medicis igitur considerandum est, nedum quantam sanguinis missionem morbi ratio requirat, sed etiam quantam sinant ægri vires.

LXIX. Ubì, dum febris levis urget, gravissimus dolor artum cruciat, satius erit, sanguinem ex parte dolente cucurbitulis cum ferro, aut impositis hirudinibus, detrahere, quàm ex brachio. Sanguinem enim ex ipsa parte mittere, aut certè quàm proxima, dum dolorem discruciantem mitigat, universum minùs infirmat corpus.

LXX. *Sudorem moventia.*—Post sanguinem missum, *rheumatismo* acuto laborantibus succurrendum est medicamentis, ex iis quæ sudorem movent; quippe quæ corpus minùs debilitent, quàm sanguinis detractio.

LXXI. Hujus generis medicamentorum *pulvis ipecacuanæ compositus* optimum habetur à plurimis medicorum, et, utì putamus, meritò. Quò sudorem eliciat, decem haud amplius ejus grana, secundâ tertiâve quâque horâ, assumenda sunt. Si enim majore copiâ inconsideratè adhibeatur, periculum erit, ne vomitum moveat.

LXXII. Sudor, qui, enimvero, plerumque, post secundam tertiamve dosin assumptam, oritur, per duos tresve dies elici potest, doses, longis intervallis, integrando, humoresve dilutos tepidos assumendo, qui corpus leniter stimulent. Neque permittendum est, ut sudor conquiescat aut consistat, ante triginta aut triginta sex horas elapsas. Ultra verò protractus, non solùm vires dissipat, imò interdum animi deliquium inducit, sed etiam facit corpus aptum, quod grave ex levissimo frigore detrimentum capiat.

LXXIII.

LXXIII. Dummodo arteriæ plus centies, sexagesimâ horæ parte, micent, et magna vis febris urgeat, vix tutum est sudorem elicere. Satius multò est, expectare, donec febris aliquantùm conquieverit.

LXXIV. Æger, dum insudat, nulla lintea cuti proxima habere debet. Hæc enim citò permadescunt; atque periculum est, ne, dum exuuntur, corpus detrimentum accipiat à frigore, id sanè, quod quàm maximè præcavendum est. Lanea igitur vestimenta anteferenda sunt, utpotè quæ sudorem cùm evocent, tum absorbeant.

LXXV. Quò sudor satìs copiosè fluat, utile est, pedes laneis ex aqua tepida expressis fovere, aut admotis vasis vitreis aquâ tepidâ impletis. Eodem consilio, haud insolitum est, assumere potus diluentes tepidos. Ad sudorem, porrò, evocandum, conducunt *sales*

quidam

quidam *secundarii*, velut *acetis ammoniacæ*, *citras ammoniacæ*, forsitanque *citras potassæ*. Hæc omnia *pulverem ipecacuanæ compositum* adjuvant, neque, enimvero, rarò ipsa sudorem evocant.

LXXVI. Per sudationum intervalla, ægris præcipiendum est, ut, ter quotidie quaterve, *potassæ citratem* assumant.

LXXVII. Quoniam autem *pulvis ipecacuanæ compositus* astrictoriâ vi pollet, non convenit *rheumatismo* affectis, quorum alvus tarda est, aut dura. Hi, ejus vice, debent *tincturam guiaci* adhibere; quæ, utì ad sudorem evocandum efficacissima est, ità, omni morbi tempore, convenit.

LXXVIII. Hoc medicamentum, quippe cùm aliquid *ammoniacæ* ei insit, à quibusdam putatur nimìs stimulare; ideoque parùm ido-

neum

neum esse iis *rheumatismo* laborantibus, qui multùm febriunt. Quanquam os internum calefacit, tamen, exiguis dosibus datum, cor parùm stimulat et arterias.

LXXIX. *Purgatio*,—quippe quæ, materiam ex corpore demendo, motus arteriarum, itemque inflammationem, sedet, efficax, utì censent multi auctores, ad *rheumatismum* sanandum remedium est. Sed, superquàm quòd, pariter atque sanguinis detractio, modò incautè aut nimìs adhibeatur, vires labefactat et dissipat, ægris imponit necessitatem lecto subindè exsurgendi, ut desideant; quo fit, ut multum, haud rarò, detrimenti à frigore capiant.

LXXX. *Cinchonæ cortex*—nupèr, apud medicos, præcipuè LONDINIENSES, invaluit; utpotè idoneum medicamentum, quo *rheumatismus* percuretur, modò unam ejus alteramve drachmam,

drachmam, idoneis intervallis, ægri assumant.

LXXXI. CULLENUS, ratus *diathesin phlogisticam* augere, ejus usum improbavit. GREGORIUS compluries expertus est, *rheumatismo*, necne, conveniret hoc medicamentum. Compertus autem, interdum respondere, aliàs fallere, præscribendo, ex toto, destitit (E). Nonnulli ægri, qui, cortice assumpto, revalescere videbantur, tantâ derepentè vi morbi denuò correpti sunt, ut necessarium esset, iis sanguinis missione, aliisque medicamentis ac remediis, quæ inflammationibus sedandis idonea sunt, opportunè subvenire.

LXXXII.

(E) Aud. GREGOR. Prælect. *in Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

LXXXII. *Exulceratio*,—utì nonnulli existimant, multùm ad *rheumatismum* sanandum pollet. Dolorem utìque levat; at tum maximè, ubì acri unguento admoto obstatur aliquandiù, ne pars exulcerata renascente cuticulâ sanetur.

LXXXIII. Exulceratoria autem non imponenda sunt, nisi magna vis doloris urgeat. Perpauci enim mortalium, leviorem ut mitigent dolorem, graviorem pati malunt. Nedum, enimvero, adhibenda exulceratio est, ubì dolores, uno post alium artu relicto, novos subindè petunt. Fugitaret enim errabundos dolores à sede, efficeretque, ut miserandus æger omnibús deinceps artubus cruciaretur.

LXXXIV. *Virium refectio.*—Simul ut vis inflammationis et febris conquieverit, aut multùm mitigata sit, atque cibos appetat stomachus; ægris, quò revalescant, permittendum

est,

est, ut modicis carnibus prandeant, et vino aut cerevisiâ. Quin et, ubì, ex toto, decesserit morbus, utilissimum erit, ut convalescens citiùs confirmetur, corpori, morbo pariter ac curatione debilitato, præparatis quibusdam è ferro, cum *cinchonæ* cortice conjunctis, subvenire; etiamque aliis, forsan, medicamentis, ex iis quæ vires languidas redintegrant, et redintegratas conservant.

LXXXV. Dictis medicamentis et remediis, quibus percuretur acutus *rheumatismus*, nunc transeundum ad ea est, quibus longo subveniatur.

LXXXVI. *Consilium secundum.*—Utì in vetusto *rheumatismo*, in quem abivit acutus, inflammatio, siqua manet, levis tantùm est, sed adsunt dolor, rigiditas, et imbecillitas; ità multa stimulantia medicamenta et remedia prosunt, quæ, in acuto, plurimùm nocerent.

LXXXVII. *Calor.*—Remedium, utì simplicissimum est, ità forsitan tutissimum efficacissimumque, artûs imbecilli calorem fovere.

LXXXVIII. Hunc in finem, oportet laneis calidis, sive siccis, sive ex aquâ calidâ expressis, artum subindè acriter perfricare, aut aquam ei calidam desuper affundere. Eodem, porrò, consilio, artus invalidus, et totum quidem corpus, debent, per horum remediorum intermissiones, laneis vestiri. Hæc enim halitum summæ cutis evocant; et, dummodo uti ægri perseverent, haud rarò, postquàm fefellerunt alia remedia et medicamenta, morbum percurant. Quinetiam, *rheumatismo* longo laborantibus proderit, utì periculo compertum est, in balneum thermasve, singulis diebus, descendere; et, simul ut satìs perfusi sunt, semet acriter perfricare.

LXXXIX. *Fricatio.*—Utile, porrò, erit, artus longo *rheumatismo* invalidos aut strigili subindè perfricare, aut laneis stimulantibus quibuslibet, sinapis veluti pulvere imbutis. Hæc stimulantia, quamvis, per se, parùm valeant, ægros tamen spe futuræ salutis erigant, atque sic inducant, ut in fricando perseverent: quod sanè utilissimum est; quippe cùm languida vasa incitet, cutis halitum cieat, sicque sanguinis cumulum, si quis, et dolorem discutiat.

XC. *Rubefacientia.*—Hujus generis medicamenta longum aliquandò *rheumatismum* levant, sed percurant rarissimè. Multa hujusmodi medicamenta ab auctoribus memorantur, nominatìm *linimentum volatile*, vel hoc unà cum oleo terebinthino; *spiritus vini camphoratus*; *linimentum saponaceum*; *balsamum anodynum*; et, si qua, similia. Horum, utì nobis videtur, efficacissima sunt, *linimentum volatile* cum terebinthino

rebinthino oleo; oleum terebinthinum per se; et hoc oleum cum *spiritu vinoso tenui*. Rubefacientia, eodem planè modo, proficiunt longo *rheumatismo* afflictis, quo fricatio.

XCI. *Ignis electreus.* — Si aliis subsidiis longus *rheumatismus* levari recusat, ex artubus affectis scintillulas *electreas* subindè elicere, utì tutissimum remedium erit, ità, haud raró, potentissimum.

XCII. *Lavatio frigida*,—utì periculo compertum est, longo *rheumatismo* laborantibus multùm opitulatur. Artubus invalidis aqua frigida, ex alto, pluviæ formâ, affundenda identidem est. Artus dein siccatos, itemque perfricatos, laneis calidis circumvestiri oportet. Aqua frigida, quanto artuum calorem minuit, tanto eos solitò aptiores reddit, qui mox siccatione, frictione, et calidis laneis circumdatis incalescant. Hoc cognito, non diutiùs

tiùs paradoxum videtur, eidem morbo jam frigidis jam calidis subveniri posse.

XCIII. *Exercitatio.* — Dum medicamentorum remediorumque, quæ memoravimus, in usu perseveratur, artus affecti subindè exercendi sunt, movendo aut propriis viribus, aut alienis. Dummodo enim iis permittatur, ut diù quiescant, sensim minùs mobiles fiunt, demumque, ex toto, obrigent.

XCIV. *Interna stimulantia* — nonnunquàm, ad longum *rheumatismum* curandum aut levandum, plurimùm pollent. Hujus generis sunt, sinapis semina, ad semunciam, bis quotidie assumpta; atque *murias hydrargyri dulcis* eâ copiâ, quæ neque salivam moveat, neque alvum. Hoc medicamentum, dummodo in ejus usu perseveretur, nonnunquàm respondet, postquàm alia parùm, aut omninò non, profuerunt.

XCV.

XCV. Ad idem quoque genus pertinet *guiacum*. Hujus ipse pulvis assumatur, vel *tinctura*, vel aqua ex eo decocta.

XVI. Dosis pulveris majuscula alvum movet; minuscula, cutis halitum aut sudorem, totumque leniter stimulat corpus. Quò sudorem eliciat hoc medicamentum, pauca grana, glutinoso quolibet humore soluta, assumantur.

XCVII. *Tincturæ* duæ tresve drachmæ assumptæ cum lacte, quod saporis fœditatem corrigat, simulque obstet, nequid ori adhæreat, alvum leniter solvunt.

XCVIII. Aqua decocta ex *guiaco*, utì plùs, quàm *guiacum* ipsum, ad sudorem movendum pollet, ità, forsitan, longo *rheumatismo* laborantibus plùs proficit.

XCIX. At hoc tamen medicamentum alvum nonnunquàm adeò acriter purgitat, ut ejus usu desistere opus sit.

FINIS.